

Sammelband og

Index locorum in hoc volumine
explicatum.

- nr. 29 Pj. LXXXIV.
4. Math. II. 17. 18.
38 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
20 Eph. V. 29.
18 Col. I. 34.
11 Col. II. 14. 15.
23 Cor. XIII. 2.
36 1 Petr. III. 18.
38 2 Petr. I. 19.
6 Jud. 9.
38 Apoc. XXII. 16.

FESTVM
RESVRRECTIONIS CHRISTI
RITE CELEBRANDVM
INDICIT
ET SIMVL
CELEBREM CONTROVERSIAM
DE
VISIONE DEI
ANTE RESVRRECTIONEM
CARNIS
ILLVSTRAT
ACADEMIA IVLIA CAROLINA
A. R. S. C. I. C. C. CLIX.

HELMSTADT

LITERIS SCHNORRIANIS,

PRO-RECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
S. P. D.
CIVIBVS ACADEMICIS.

Nostis sine dubio, CIVES CHARISSIMI, homines quoque resurrectorum fuisse, etiam si nulla illis contigisset redemtio. Destinati enim fuisserent ad aeternos cruciatus, quos licet non intensive infinitos esse potuisse satis constet, tantos tamen esse oportuisset, ut maiores gravioresque ab homine definita virium mensura circumscripto sentiri haud potuissent. At vero dolor iste, qui animas carnis vinculo solutas excruciat, novis accessionibus augeri potest. Nam si sua illis corpora reddantur, eaque variis afflictionibus torqueantur, fieri haud potest, quin animae novos sentiant dolores, quibus ante corporum restitutionem carbent. Quapropter divinae iustitiae rigor exegisset, ut et ad eas animas corpora aliquando rediissent, quae Redemptore defitutae peccatorum suorum poenas ipsae luere debuissent. At haec resurrectio mentibus separatis minime experenda, sed potius, ut ingens malum, sibi adhuc fururum, pertimescenda fuisset. Nunc vero alia datur resurrectio, quae maximum DEi beneficium est, et cuius spe fideles mortis acerbitatem sentientes non leviter recreantur. Haec est illa resurrectio, quam sacrae literae resurrectionem ad gloriam et vitam vocant, Dan. XII. 2. Io. V. 29. et quae intelligenda est, cum resurrectio nostra beneficium merito Christi nobis comparatum esse praedicatur. I. Cor. XV. 21 22.

De huius resurrectionis praefstantia ac felicitate **cum** Vos monere vellemus, CIVES OPTIMI, non inutile videbatur, celebrem controversiam hac de re agitatam prius illustrare, quae totam fere Ecclesiam olim vehementer turbavit, et cuius nostra adhuc aetate in aliis disputationibus

bus magna est utilitas. Scilicet fuerunt aliquando, qui sibi persuaserunt, resurrectione carnis opus esse, ut animae piae Deoque reconciliatae ad veram caelstis gloriae perceptio- nem pervenire queant, easque Deum prius videre haud posse, quam sua receperint corpora. Ipse IOANNES XXII. P. R. qui Ecclesiam Romanam ab A. C. MCCCXVI usque ad MCCCXXXIV gubernavit, hanc opinionem non tantum tenuisse, sed etiam primo omnium tradidisse, et hinc totius concertationis auctor extitisse creditur. Referunt Scriptores fide digni, nec desunt publica huius rei testimonia, Pontificem hunc MCCCXXXI prima dominica adventus Avenione, ubi sedem suam habebat, publice praedicasse, animas separatas ante universalem corporum resurrectionem DEum non videre. Et quamquam haec doctrina mox ab initio multos offenderet, nulla tamen tunc movebatur controversia, plerisque existimantibus, Pontificem non tam asservuisse opinionem, quam potius de ea disputasse. Cum vero eam MCCCXXXIII repeteret, et praecepit aulae pontificiae Theologi, praesertim Cardinales, candem opinionem urgerent, qui vero secus sentiebant, male haberentur a Pontifice, contra eum publice disputari coepit. Pontifex, qui et LUDOVICUM Imperatorem, et eam FRANCISCANORVM familiam, quae absolutam paupertatem ex regula FRANCISCI observandam esse contendebat, graviter offenderat, ideoque ab iis haereses et impietas iam accusatus fuerat, (a) meruens, ne nova haec opinio, Adversariorum studio, auctori fieret pernicioса, Academiam Parisiensem in suas parres pertrahere conabatur, duos Theologiae magistros, aliud negotium simulantes, illuc mittens, qui ipsius sententiam Parisiis tradere, et, quantum possent, com-

A 2 men-

(a) Bellum Pontificis cum LUDOVICO Imp. et FRANCISCA-
NIS, qui FRATRICELLI et SPIRITUales appellari so-
lent, inter alios auctores narrat IOANNES TRITHEMIUS
in Annal. Hirsaug. Tom. II. p. 157. seqq. Haereses autem, quae
illi imputabantur, legi possunt tum in appellatione tum in
sententia LUDOVICI Imp. adv. IOANNEM XXII. apud STEPH.
BALVZIVM in *Vitis Paparum Avenion.* Tom. II. p. 494. seqq.
p. 523. seqq.

IV

mendare iussi erant. Sed haec res minime ex voto illig-
cessit. Nam plerique dogma hoc, ut haereticum, ve-
hementer impugnabant, nec obiecta Pontificis auctoritatē
se moveri patiebantur, ut illud ferendum esse existimas-
sent. Ergo legatus eius, qui erat ex Praedicatorum or-
dine, ut tempestatem mitigaret, primum temperavit opi-
nionem, statuens, *animas separatas habere quidem aliquam*
Dei visionem, sed refuscitatis corporibus abolendam, et tunc
aliam longe perfectiorem successiram esse. Verum neque
haec doctrinae modificatio commotis Gallorum animis
satisfaciebat. PHILIPPVS, Rex Galliae, cui ea praecipue
displacebat, Theologos Parisienses convocabat, ut de pe-
rigrina et hacdenus inaudita quaestione sententiam edice-
rent. Qui cum opinionem a Pontificis legato assertam u-
nanimibus votis damnassent, et, iussu Regis, commune
decretum sigillis communium edidissent, Rex illud cum
Pontifice communicabat, adiectis cohortationibus et mi-
nis, ut opinionem falsam ac pericolosam mitteret, seque
non à theologis aulicis, sed academicis, qui rem melius
nosset, doceri pateretur: (b). At vero Pontifex, licet se
literis humilitate plenis apud Regem excusaret, in sua ta-
men opinione usque ad mortem perseverasse videruri.
Huic autem cum esset proximus, ab amicis rogabatur, ut
sententiam iudicio Ecclesiae Romanae submitteret. Et
forrasse Pontifex ipse metuebat, fieri posse, ut post mor-
tem haereses damnareretur. Itaque ipsa die emortuali de-
clarationem conscribi iubebat, se statuere, *quod animae*
separatae Deum viderent, quantum illarum conditio et status
pateretur; si quid aliter praedicasset aut scripisset, id iam
se revocari; denique se omnia, quae docuisset, et ipsam
quoque sententiam ultima declaratione mitigatam iudicio

Eccl-

(b) Vid. CONTINVATOR Chronicorum GVL. de NANGIS apud LVC.
D' ACHERY in Specilegio Tom. III. p. 96. 97. NICOLAVS
MINORITA apud STEPH. BALVZIUM in Not. ad Vit. Pap.
Aven. p. 788. seqq. Conf. CAES. EGAS. EVLAEVUS in Hist.
Uiniv. Parif. Tom. IV. p. 235. seqq. IO. LAVNOIVS in Hist.
Gymn. Navar. Parif. Lib. I. Cap. VII. Opp. Tom. IV. Part. I.
p. 319. seqq.

Ecclesiae suorumque successorum subiicere. Quo facto
BENEDICTVS XII. qui succedebat, ut tandem motus Ec-
clesiam turbantes componeret, publicum decretum ede-
bat, quo sententia, quae IOANNIS XXII fuisse credeba-
tur, tanquam haeretica damnabatur, omnesque Christia-
ni credere iubebantur, animas pias ac beatas statim post
separationem à corpore DEi faciem intueri. (c)

Hanc rerum eo tempore gestarum seriem qui sine
parvum studio considerat, is ne per somnium quidem co-
gitare poterit, in decidendis controversis fidei Pontifi-
cem esse infallibilem, aut eius infallibilitatem semper cre-
ditam esse ab ipsa Ecclesia Romana. Pontifex dogma tra-
dit, quod ad illud usque tempus omnibus doctoribus vi-
sum fuerat haereticum; Cardinales, aut ut favorem cap-
tent, aut ex metu, consentiunt in illud; Praefrantissimi
autem Theologi illius temporis contradicunt; Convocatur
concilium, ut de doctrina Pontificis sententiam ferat; Pa-
pa monetur a Clericis et Laicis, ut rectius doceat, et
opinionem offendionis plenam abiiciat; Ipse Pontifex opini-
onem suam excusat, temperat, si quid errasset, revo-
car, et aliorum iudicio se subiicit; Denique sententia, quan-
ille soverat, ab alio Pontifice damnatur. Haec adeo cui-
dientia sunt, ut nonnulli viri cordatores in ipsa Ecclesia
Romana non tantum agnoverint, hunc papam errasse,
sed etiam eius exemplo probaverint, praetensam illam
infallibilitatem P. R. omni fundamento carere. (d)

Equidem nec desunt variae exceptiones et distinc-
tiones, quibus papalis dignitatis assertores uti solent, ut in
hoc periculo laboranti Pontificis auctoritati succurrant. (e)

A 3.

Sed

(c) Vid. STEPH. BALVZIVS in *Vit. Pap. Aven.* Tom. I. p. 183.
184. 197. 198. Epistola BENEDICTI XII. extat in HARDVINI
Collect. Conc. Tom. VII. p. 1554. seq.

(d) V. g. LVD. ELLIES DV PIN in *Antiqua Eccl. Discipl. Differt.*
V. Cap. I. §. 3. p. 352. seq. et pro sua sententia laudat PETRVM
ALLIACVM, IOANNEM GERSONEM, aliasque plures.

(e) Legi possunt apud ODO. RAYNALDVUM in *Cont. Annal.*
Baron. ad A. C. 1333. num. 45. seqq. Tom. XV. p. 450. NATA-
LEM ALEXANDRVM in *Hist. Eccl. Sacra XIII. et XIV. Disp. XI.*

VI

Sed vana sunt omnia, nulloque nixa fundamento, quae in hunc finem disputantur. Dicunt ex. gr. controveriam hanc non a Ioanne XXII sed ab aliis motam esse; Pontificem, officii sui memorem, eam propterea Cardinalibus discutiendam tradidisse; Quod negotium ut facilius procederet, ipsum in utramque partem disputasse, et tam Scripturae, quam Patrum testimonia diligenter collegisse; Nunquam autem ipsam opinionem asseruisse. Et, tamen, hac sola excusatione rebus Pontificis hodie consuli posset, si ea satis sibi constaret. At enim vero ne ipse quidem RAYNALDVUS, qui Pontificum caufam hoc modo iuvare voluit, quemquam nominare potuit, quo auctore haec controversia, quae tantam invidiam Ioanni XXII confavit, excitata foret. Scriptores isti, quos citavimus, omnem potius culpam in Pontificem, tanquam primum controversiae auctorem, devolvunt, dum referunt, eum hanc opinionem prima dominica adventus MCCCXXXI pro concione tradidisse, eamque mox ab initio multos offendisse, quoniam nunquam audita esset in Ecclesia. Neque eum hac de re tantum disputasse, tradunt, sed vere et cum multorum scandalo docuisse, in dissidentes vinculis et carceribus faevisse, et ipsius Legatos dogma hoc Parisiis afferentes adversariis Pontificis auctoritatem obieciisse. Evidem, quod diffiteri haud possumus, Pontifex in literis ad Regem Galliae datis, protestatur, se nibil certi bac de re statuisse, sed tantum dicta Scripturae et Patrum recitasse, et suos theologos in utramque partem disputasse, ut veritas eo facilius inveniri posset. (f) Sic etiam Theologi Parisienses in suo decreto fatentur, Pontificem, quicquid de hac materia dixisset, non afferendo seu opinando, sed solummodo recitando protulisse. (g) Verum enim vero non impossibile est, Pontificem hac tempestate fractum sententiam suam dissimulasse, Theologos autem Parisienses aut exreve-

*Art. II. p. 520. seqq. ROBERTVM BELLARMINVM de Rom.
Pont. Lib. IV. Cap. XIV. Tom. I. p. 841. seq.*

(f) RAYNALDVUS ad A. C. 1333. num. 47.

(g) BOVLAY in Hist. Univ. Parif. Tom. IV. p. 237.

reverentia, aut ne Papam nimis offenderent, benignius de eo sensisse, invita licet veritate. Haec prae*sumptio* eo maiorem habet probabilitatis gradum, quod Parisen*ses Pontificem absolvere non auderent, sed tantum ex aliorum relatione*, ut ipsi testantur, ita de eo iudicarent. Eriam*si vero certum foret, Papam nihil statuisse, sed tan-tum disputasse, ex ipsa tamen Epistola a RAYNALDO excitata satis constaret, nullius infallibilitatis Pontificem tunc sibi conscient fuisse. Obiecerat namque PHILIPPVS, Rex Galliae, Pontificem, er qui in ipsius aula versarentur, Theologos non satis peritos esse rerum theologica-rum, ideoque audiendos esse Doctores Academicos, qui controversias fidei melius tractare et definire scirent.* Quid vero ad haec Pontifex? Num forte regerebat, se, qui cathedram Petri teneret, esse universalem Ecclesiae Doctorem, se ab universa Ecclesia audiendum esse, ad se pertinere controversiarum fidei decisionem, sibique ideo traditum esse donum infallibilitatis? Ita forte respondisset, si procul a fulmine non Avenione, sed Romae, sedem suam habuisset. Nunc autem ex una parte a LUDOVICO Imp. et magna Monachorum parte impugnatus, et iam haereseos accusatus, nunc ex altera parte Regis Galliae, in cuius potestate erat, et cuius praefidio opus habebat, iram et minas metuens, nunc, inquam, *Et quia, filii dilectissime, satis humiliter scribit, forsan tibi dicitur, quod nos non sumus in Theologia Magister, audi, quid unus sapiens dicat: Non quis, inquit, sed quid dicat, intendit.* Utinam ita semper de se sensissent Pontifices! Caeterum eriam*si hic ali-pus elabendi via adhuc superesset, ea tamen difficultas Pon-tificios semper urgebit, quod BENEDICTVS XII senten-tiam ut haereticam publico decreto damnaverit, quam eius Antecessor IOANNES XXII minimum probabilem, Scripturae et Patrum auctoritate suffultam, et hinc in Ec-clesia tolerandam esse statuerat.*

Mittimus alia argumenta, quibus Pontificum aucto-ritas adversus huius generis obiectiones firmari solet, et ad ipsam controversiam revertimur, quae ideo discutien-da nobis videtur, ut pateat, tum quaenam tunc fuerit de rebus

VIII

rebus theologicis disputandi ratio, tum quid de re ipsa in controversiam vocata sentiendum sit. Primum quidem ab hac quaestione diligenter removebantur ea, quae omnino removenda erant. Sed haec ipsa status controversiae declaratio nos docet, utramque partem in aliis erroribus connexis, iisdemque gravioribus, consensisse. Non enim, dicebant, iam disputari de statu animarum separatarum ante mortem Christi, quos, si pie deceperint, in limbo Patrum usque ad adventum Domini fuisse, et hinc visione DEi caruisse constaret; Neque quaestionem esse, monebant, de animabus post hanc vitam adhuc purgandis; sed de iis, quae nulla purgatione indigerent, aut in purgatorio pro reliquis peccatorum iam satisfecissent; utrum istae DEum videant, et caelesti gloria fruantur, ante corporum restitutionem? Supponebant ergo, de limbo Patrum, de existentia purgatorii, de peccatis venialibus, et similibus ineptiis, nullum esse dubium. Quia vero de his rebus tunc non disputabatur, in sola quaestione subsistimus: *Num animas piorum, DEo reconciliatae, et peccatorum remissionem consecutae, statim post separationem a corpore DEum videant, an vero post carnis demum resurrectionem haec felicitas illis contingat?*

Qui veram sententiam propugnabant, *animas nimis separatas mox a discessu suo beata DEi visione frui*, quorum fine dubio praeceps erat. DV RANDVS A ST. PORTIANO, Episcopus Meldensis, inter Scholasticos Doctoris *Reolutissimi* titulo ornatus, his utebantur argumentis:

1. Christum ad Inferos descendisse, ut Patres e limbo educeret, et poenam damni aboleret, hoc autem fieri haud potuisse, nisi visionis DEi communicatione;

2. Christum Luc. XXII. 43. latroni in cruce pendentem promisisse, quod cum ipso ea ipsa die iam futurus esset in paradyso, atque hoc nihil aliud esse, quam DEum videre;

3. Paulum Phil. I. 21. dicere non potuisse, mortem sibi iucundum fore, nisi anima separata a corpore ad visionem DEi immediate transiret;

4. Animas piorum statim recipi in habitaculum caeleste,
2. Cor. V. 1. quod visionem DEi necessario involveret;

5. Ani-

5. Animas separatas stolis albis induotas esse, Apoc. VI.
VII. 9. h. e. intueri faciem DEi;
6. DEum promptiorema esse ad remunerandum, quam
ad puniendum, impiorum autem animas, simulac discesserint,
damnari, ergo piorum animas multo magis caelesti
gloria donari;
7. Ecclesiam in hymnis suis fateri, Apostolos et Mar-
tyres DEi conspectu iam frui;
8. Eandem sententiam assertam esse a Gregorio et Beda;
9. Mercedem operum sine interiecta mora solvendam
esse. (h)

Non opus erat hoc argumentorum cumulo, quibus
multa nimia et inutili subtilitate disputabantur, falsaque
veris, et mala bonis haud pauca admiscebantur. Ad
componendam totam controversiam unicum argumen-
tum sufficeret, cuius vero, quod merito miramur, a neu-
tra parte mentio facta est. Pontifex sententiam ita tem-
peraverat, ut statueret, *animas separatas DEum videre,*
QVANTVM ILLARVM STATVS ET CONDITIO FERAT.
Nec aliter hac de re sentire poterat. Tres enim status
animatorum separatarum credidit Ecclesia Romana, Caelum,
Infernus, et Purgatorium. Nam quod de limbo par-
vulorum addi solet, non pertinet ad animas adulorum.
Iam vero non de animabus in Inferno aut Purgatorio ex-
istentibus disputabatur. Ergo concedebat Pontifex, ani-
mas, de quarum visione DEi dubitaret, in cælo esse,
ibidemque omni ga felicitate frui, cuius capaces essent.
Hinc unice quaerendum suisset, num beata illa et perfecta
DEi visio cadere posset in animas a corpore seunetas?
Si demonstrari potuisset, illas ad hoc genus felicitatis
percipientem aptas esse, nemo de illius existentia dubi-
rasset. Sin vero certum aut probabile saltrem suisset, ad
videndum DEum opus esse conurus corporis, nihil va-
luissent argumenta, quae urgebantur. Semper enim re-
sponderi potuisset, animas, relictis corporibus, statim
B qui

(h) Argumenta haec excerpta sunt ex DVRANDI libro, cuius
summarum ex Msto communicavit RAYNALDVUS ad A. C. 1333.
eum. 49. seqq.

X

quidem salvari; sed eam tantum futurae gloriae partem sentire, cuius participes fieri possent absque corporibus; hoc autem non pertinere plenam et perfectam DEi visionem; habere quidem animas separatas aliquam DEi cognitionem intuitivam, ex qua magnam voluntatem haurirent; sed ad summum felicitatis gradum necesse esse, ut DEUS oculis corporis glorificati conspiciantur. Iraque hoc solo arguento utendum fuisset: Si caelstis gloria visione DEi continetur, quae non sensualis, sed mentalis et intellectualis est, sequitur, animas separatas, in caelum receptas, et ante corporum restitutionem DEUM plene et perfecte videre.

Beatam illam DEI visionem non sensualem sed intellectualem fore, constans et unanimis erat Patrum doctrina. AVGVSTINVS quidem hac de re aliquando dubitavit. Sed tunc magis ingenio indulsisse, quod movendis at augendis difficultatibus mire delectabatur, quam solidiora principia, ipsi alias non ignota, sequutus videtur. Certe tanto viro digna non erat ratiocinatio: *Pace Dei aliquando fuenier, quae superat omnem intellectum;* Ergo zisko intellectualis non sufficit ad aeternam gloriam. (i) Alio loco, cum idem argumentum maiori studio tractaret, veritatem vidit, et Sacrarum Scripturarum auctoritate recte asseruit, DEum, natura sua invisibilem, oculis corporeis, licet glorificatis, videri haud posse. (k) Hanc sententiam deinde retinuerunt SCHOLASTICI, praefertim THOMAS, (l) quem sequuti sunt Pontificii recentiores. (m) Eo igitur tempore, cum de visione DEI ante resurrectionem mortuorum disputaretur, non ignota, nec forte a quoquam in dubium vocata, erat doctrina, DEum a beatis solis intellectus oculis videri posse. Quodsi ergo hanc

(i) *Vid. AVG^{STIN}V^S de Civ. DEi. Lib. XXII. Cap. XXIX. Opp. Tom. VII. p. 695. seq.*

(k) IDEM Epist. CXLVII. ad Paulinam Opp. Tom. II. p. 473 seqq.

(l) THOMAS in *Summa Theol.* Part. I. Qu. XII. Art. III. p. 23.
(m) GABR. VAZQUEZ in *Disp. in Prim. Thes.* T. I. q. 5.

(III) GABR. VAZQUEZ. in *Disp. in Prim. Thomae Tom. I. Disp.*
XL. Cap. II. p. 212. FRANC. SVAREZ de DEG. Tr. I. 1. H.

rationem. Theologi illius temporis ursusserunt, facili negotio expugnata fuisset adversariorum opinio. Nam negari non poterat, animas piorum omni ea frui felicitate, quae in eas cadere posset. At vero visionis DEi intellectualis animae sine dubio capaces sunt, etiam si corporibus careant. Quid igitur obstaret, quo minus illam perciperent. Pontifex, et qui eum sequebantur, excipere quidem potuissent, perfectam DEi visionem non tantum intellectualem, sed simul corporealem fore. Quod enim beati DEum oculis corporeis non visuri sint, nullius concilii aut pontificis auctoritate definitum erat. Sed forte non audebant Pontificis sectatores, hanc sententiam proferre. Adeo persuasum fuisse videtur omnibus, DEum oculis corporeis videri haud posse, ut, qui secus sentire voluissent, nullam fidem se inventuros esse praeviderent.

Quodsi tamen recte intellexissent, quot quantisque disputationibus intricata et obscurata fuerit haec DEi visio, aliud forte adfuerit medium, adversariorum suorum tela retorquendi. Notum videlicet est, varias esse scholasticorum opiniones de qualitate et modo huius visionis. Plerique putant, animas videre DEum per verbum et speciem. Per VERBUM autem intelligunt ipsam ideam seu conceptum divinae essentiae, et per SPECIEM potentiam quandam intellectui inhaerentem, et a DEO communicatam, hanc sibi ideam formandi. Nam SVAREZIVS, hanc speciem describens, inquit, ad eam pertinere, ut intellectui inhaereat, illam in actu primo constitutam, obiectum potentiae unitam, actum intelligendi efficiat, obiectum ipsum repraesentet, et potentiam ad talim speciem actus determinet. (n) Vnde cum hi auctores simul sentiant, lumen gloriae in viribus a DEO supernaturaliter collatis, eum videndi, considerare, ex illorum opinione species illa impressa non differt a lumine gloriae. Sed fuerunt etiam, qui lumen illud gloriae, quo solo DEum videri posse consentiebant, non ad intellectum beatorum, quasi illius esset potentia vel habitus, verum potius ad obiectum ab intellectu.

B. 2

(n) Tr. I. de DEo Lib. II. Cap. XII. p. 59.

XII

lectu videndum, h. e. ad DEum referabant. Atque hac de re quandoque ita loquuntur, ut, DEum ipsum hoc lumen esse, credere videantur. Quandoque autem lumen, quamvis ad DEum referant, a DEo tamen distinguunt, ut speciem a DEo procedentem, et beatis obiectam, ut illa mediante DEum videre possint. (o) Horum opinio nobis non differre videtur ab illa, quae eodem seculo in Oriente tradebatur, et quorundam Conciliorum auctoritate firmabatur.

VMBILICANIMO
RVM seu Ομφαλοφύχω opinionem innuimus, quorum princeps, GREGORIVS PALAMAS, Archiep. Thessal. praecepit, DEum in luce quadam aeterna habitare, hanc lucem ab ipsis essentia et natura distinctam esse, et am DEi ἐνέργειαν aut operationem constituere, eamque solam ab hominibus videri posse, et eandem quoque DEum discipulis Christi in monte Thabor conspicendum dedisse. (p) Novimus, hanc Graecorum opinionem non approbatam esse a Latinis. Sed quomodo lumen gloriae ab hac luce, de qua PALAMAS disputavit, differret, si ad DEum pertinere, et ab eo tamen distinctum esse crederetur? Nonne tunc lumen gloriae rem sensibilem esse oporteret, qua mediante beatae mentes DEum intuerentur? Ille vero DEi conpectus quid aliud foret, quam ipsius lucis, in qua DEus habitaret, perceptio, ex qua DEi ideam fibi formarent beati? Itaque tunc non DEum ipsum, sed lumen gloriae viderent. Et ad huius generis visionem sine dubio opus foret concursus corporis. Quapropter qui plenam DEi visionem ante resurrectionem mortuorum existere negabant, se hac opinione de lumine gloriae tueri poruissent. Licet enim animae separatae aliquam essentiae divinae cognitionem iam haberent, ea tamen longe perfectior futura esset post carnis resurrectionem, si DEus mediante sensibili quadam luce se beatis conspicendum praebere veller.

Reci-
(o) DIONYSIUS PETAVIUS in *Dogm. Theol. Tom. I. Lib. VII. de DEo et Propri. Cap. VIII. p. 300. seqq.*

(p) Vid. Acta Conc. CP. 1350 hab. apud HARDVINUM *Tom. XI. p. 283. seqq. LEO ALLATIVS de Perpetua Confess. Orient. et Occid. Eccl. Lib. II. Cap. XXII. p. 824. DIONYSIUS PETAVIUS Dogm. Theol. Tom. I. Lib. I. Cap. XII. p. 76. seqq.*

Recitavimus ea, quae de visione DEi illis temporibus disputata sunt, et quae ex opinionibus receptis disputari potuissent, nisi utraque pars sua commoda ignorasset. De re ipsa autem, ut constet, quid credendum sit, utique tenendum est, *animas fidelium, quam primum ex hac vita migrant, DEum perfecte videre, et hanc visionem corporum resurrectione augeri haud posse.* Nolumus ea nunc prolixè commemorare, quibus hoc assertum alias probari solet. Sufficiat, praecipuum argumentum, ad quod cuncta redeunt, Vobis in memoriam revocasse. Qui Scripturae auctoritatem sequuntur, non ignorant, animas fidelium DEo redditas mox in caelum deferri, ibidemque omni illa gloria, piis promissa, frui, qua sine corporum concursu frui possint. Praecipua vero huius felicitatis pars, aut potius illius essentia, visione DEi continetur, quae eum intellectualis, et minime sensualis sit, cum animalibus separatis statim communicari potest. Ergo dubium non est, quin animas beatas DEum perfecte videant ante mortuorum resurrectionem. Vnicum forrassis est, quod hanc demonstrationem infirmam reddere possit. Oportet nempe animas prius iudicari a DEo, quam praemium aeternae vitae accipiant. Quod enim Christus testetur, credentes non iudicari, Io. III. 18. V. 24. id de condemnatione intelligi debet. At vero tunc demum iudicabuntur homines, quando Christus venturus est ad resuscitandum mortuos. Io. V. 25. 28. 29. Matth. XVI. 27. XXV. 31. seqq. Act. XVII. 31. Ergo ante diem extremum regno Patris sui non portuntur, quamquam, dum hoc tempus expectant, magna animi tranquillitate et voluntate frui possint. Verum enim vero coram hoc iudicio, quod omnino prius esse debet caelestis haereditatis possessione, iam in hac vita comparent fideles. Quid enim iustificatio nostra aliud est, quam actus iudicij divini, quae peccata nobis remittuntur, nosque pro iustis declarantur, et haeredes aeternae vitae constitutimur? Quando igitur animae iustificate a DEo evocantur, huius sententiae absolutoriae, cuius certitudinem iam habuerant, corporis vinculo adhuc detentae, confirmatio tantum aut certior

XIV

et evidentior declaratio illis contingit. Quod qua ratione fiat, nostrum quidem non est definire. Videntur tamen animae beatae ipsa luminis gloriae collatione confirmari, quod cum DEo semper viuctae sint. Dum enim eam felicitatem, quam in hac vita speraverant, mos post discessum percipere incipiunt, nonne haec singularis DEi operatio est veluti vox divina, qua in caelestem patriam ingredi iubentur? Atque hoc est PARTICVLARE illud YDICIUM, ad quod diligenter meditandum Salomo nos reuicit, inquiens: Pulvis aut corpus ad terram revertitur, Spiritus autem ad DEum. Eccl. XII. 7.

Quamquam igitur corporum resuscitatio nihil faciat ad beatam DEi visionem, certum tamen est, futuram nostram felicitatem illorum restitutione maximopere auctumiri. Est enim ea coniunctionis animae et corporis ratio, ut corporis sui perfectiones sentiat, atque magnam inde voluntatem capiat, quam corporis expers percipere non potuisset. Sic etiam externis rebus sensibilibus magna insesse potest perfectio, et iucunda ad nos relatio. Quae si sentiantur, non parum laetitiae nobis afferunt, si non sentiantur, (sentiri autem non possunt sine interveniente corpore,) animam non mouent. Itaque multiplici ratione fieri potest, ut anima, in se iam beatissima, et solo DEo contenta, novas tamen et immensas gaudiorum accessiones, redditio corpore, accipiat. Imprimis ipsa corporis qualitate vehementer gaudebit. Multis magnisque infirmitatibus, morbis, et ipsa mortalitate olim laborabat. Nunc autem haec mala omnia procul abesse videt. Illa enim spiritualis conditio, quae nobis promissa est, I. Cor. XV. 44. omnes defectus tollet, quibus fragile et corruptioni obnoxium olim reddebat corpus. Non indigebit cibo et potu, nec ullam harum rerum necessitatem sentiet. Praeter perfectam sanitatem et firmitatem, magnum quoque splendorem habebit, et ipsius Redemptoris sui corpori glorificato simile erit. I. Cor. XV. 41. 42. Phil. III. 21. Atque haec corporis perfectio nullam vicissitudinem unquam experietur. Longe autem maior erit laetitia, quam ex aspectu corporali humanae Christi naturae percipient. Nihil certe

certe praestantius et excellenter, nihil nostro intuitu et admiratione dignius est, eo hominē, in quo tota Divinitas corporaliter habitat. Nihil quoque dulcior et iucundius esse poterit, quam videre eum, qui ineffabilem illam gloriam, qua tunc fruemur, nobis promeruit, qui se ipsum pro nobis in mortem tradidit, in quem credidimus et speravimus, quem intenissimo amore prosequimur, et a quo ipsi vicissim nos infinite amari novimus. Quid senties, o anima! quando hunc hominem in sua gloria ad dextram caelestis Patris videbis, quando eum videbis ut iudicem, regem, fratrem, et amicum tuum? Quid senties, quando in ipsis vultu admirabilem et prorsus divinam suavitatem, gravitatem, ac φιλανθρωπίαν conspicies, et in sanctissimo eius corpore cicatrices intueberis, quae aeterna erunt pretiosissimi λύτρα pro te soluti testimonia? Haecce felicitas, qua corpore destituta aliquamdiu carebis, votis et desideriis tuis digna tibi videtur? Praeterea *ipse locus caelstis* gaudium nostrum mirifice augebit. Hic enim videbimus excellentissima illa praesentis Divinitatis signa, quae DEus sub figura novae Hierosolymae, imaginibus ad sensus nostros accommodatis, describi voluit; Apoc. XXI. XXII. Videbimus tot Angelorum ordines, Cherubim et Seraphim, Virtutes, Thronos, Potestates, et Principatus; Videbimus Patriarchas, Prophetas, Apostolos, et innumeram Martyrum ac Confessorum multitudinem; Videbimus parentes, liberos, et amicos, eorumque aeterna consuetudine summa cum voluptate perfruimur. Nec improbabile est, fore, ut et reliqui sensus caelestis habitaculi obiectis suaviter afficiantur. Cur enim nobis restituerentur, si nullus eorum foret usus? Quae omnia cum a spiritu puro, DEi claritatem intuente, et in eo solo acquiescente sentiantur, impossibile dictu est, quanta nobis gaudia aliquando partura sint.

Haec felicitas quemadmodum nobis comparata est morte Christi, ita illius certiores reddimur divini huius Redemptoris resurrectione. Testem huius rei habemus magnum illum gentium Apostolum, qui, de nostra resurrectione nihil dubitandum esse, inquit, postquam Christus

a mor-

XVI

a mortuis resurrexisset. i. Cor. XV. 12. Quamvis enim Christum ad vitam redire oportuerit, tum quia mortem subierat, ut nos ea interveniente redimeret, tum ut doctrinae suae divinaeque missionis, quam toties testatus erat, veritatem demonstraret, simul tamen haec eius resurrectio futurae corporum nostrorum restorationis testimonium esse debebat. Nam primum docebat, non impossibile esse, ut Deus corpori exanimi vitam restituat. Deinde ostendebat, homines, qui in eum crederent, ipsiusque vestigia premerent, morti in aeternum non succubituros esse. Denique demonstrabat, mortem subactam, plenissimamque ab ea reporatam esse victoriam. Quare cum iam naturae necessitas postulet, ut moriamur, fieri non potest, quin caro corruptionem experta longe perfectior et gloriofior nobis aliquando restituatur.

Hoc ergo beneficium pie Vobis meditandum commendamus, CIVES CHARISSIMI! Christum enim a mortuis resurrexisse dum cogitatis, simul mementore, huic eius glorificato corpori vestra quoque aliquando fore similia. Et quantum robur haec habet consideratio, pios animos movendi, ut sibi caveant ab omni impuritate, suaque membra sustent hoffiam viam, sanctam; DEoque acceptam! Nam si Deus nostra corpora non tantum restituzione, sed etiam tanta gloria aliquando dignabitur, quid turpius est, quam haec ipsa corpora peccato mancipare, et impuris operibus carnis DEo inimicæ coquinquare? Tanta impuritate qui in hac vita laboravit, certè regnum illud intrare non poterit, a quo arcendum est omne immundum. Agite ergo, o Nostri! diesque festos, quos Vobis annunciamus, ira peragite, ut ex resurrectione Christi Vobis praedicanda peccato mori, et iustitiae vivere addiscatis, P. P. in Academia Iulia Carolina,

D. XIV. Apr. MDCLIX.



153883
X 2286633 ✓

ULB Halle
007 138 997

3



ND 18

R



25
24

PRO-RECTOR ET SENATVS
ACADEMIE IULIAE CAROLINAE
CIVILIAS ACADEMICIS

FESTVM
RESVRRECTIONIS CHRISTI
RITE CELEBRANDVM
INDICIT
ET SIMVL
CELEBREM CONTROVERSIAM
DE
VISIONE DEI
ANTE RESVRRECTIONEM
CARNIS
ILLVSTRAT
ACADEMIA IULIA CAROLINA
A. R. S. CCCCCLIX.

HELMSTAD^I
LITERIS SCHNORRIANIS,

This page features a large watermark-like text in the background, which appears to be a copy of the title page of the book. The text is in Latin and reads:
 PRO-RECTOR ET SENATVS
ACADEMIE IULIAE CAROLINAE
CIVILIAS ACADEMICIS
 FESTVM
RESVRRECTIONIS CHRISTI
RITE CELEBRANDVM
INDICIT
ET SIMVL
CELEBREM CONTROVERSIAM
DE
VISIONE DEI
ANTE RESVRRECTIONEM
CARNIS
ILLVSTRAT
ACADEMIA IULIA CAROLINA
A. R. S. CCCCCLIX.
 HELMSTAD^I
LITERIS SCHNORRIANIS,
 1759.